



DISPUTATIO THEOLOGICA
ORDINARIA

De
BAPTISMO,

Qua
AUXILIANTE DEO
*Publicè habebitur in Academia Witte-
bergenſi,*


P R Æ S I D E

VVOLFANGO FRANZIO,
SS. Theol. D. & Profefs. publ.

R E S P O N D E N T E

M. HENRICO JULIO STRUBIO
VVOLFERBYTANO,
Poëtâ Laureato.

Ad diem 15. Decembris in Auditorio Majore.



VVITTEBERGAE
Typis Joh. Gormani, Anno 1609.

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO, CELE-
S-SISSIMOq; PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

HENRICO IULIO,
POSTULATO EPISCOPO HAL-
BERSTADENSI, DUCI BRUNSVICENSI
AC LUNAEBURGEN-
SI,
Domino meo Clementissimo.

Nec non

Incliti Ducatus
BRUNSVICENSIS Superioris ORDINIBUS:

VIRIS

ADMODUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS:
SPLENDIDISSIMIS, NOBILISSIMIS:
PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS:

DOMINIS PRÆLATIS:

EQUESTRI ORDINIS PROCERIBUS:
DN. CONSULIBUS AC SENATORIBUS:

*Patronis ac Promotoribus meis submissè
colendis*

Theologicas hasce positiones
Humiliter dedico, demissèq; offero

M. Henric-Julius Strubius
VVolferbyt. P.C.

EXCELSÆ PRINCEPS, Teutoniæ jubar,
Quem præter omnes enthea vis movet
Cœlestium, quo doctiorem,
Pristina, vel sapientiosem
Magisq; facundum haud tulit, haud feret
Ætas renascens: jure bono DUCUM
Phœnica quem cuncti vocare
Quadrifidis poterunt in oris.
Quæ dedicavi munera Numini
Tuo, benignâ suscipe dexterâ,
Inter catenatas potentis
Justitiæ, Themidisq; curas.
Me, quantus hic sum, devoveo DEO,
TIBIQ; , Musas si facili meas
Digneris aurâ, nec paratum
Limine submoveas clientem.
Hæc fixa clavo spes adamantino
Sit firma, PRINCEPS: sic tibi mox paret
Currum triumphalem, decorum
Textilibusque tapetibusque
Formosa NICE: sic quoque sospitet,
Regniq; aviti det DEUS INCLITAM,
Successionem roborato
Cardine perpetuare, PROLEM.

A 2

Vos.



VOS, ERUDITI LUMINA SECULI,
Prægrandiori lumine cæteris
Anteire quos Jehova jussit,
Theologas adamate chartas.
Audere sacras ire per orbitas
Non est homulli cortice terreo
Circumvoluti : nî favore
Ad juga tanta viaticatus
Eat profectus. Me quoque si favor
Armârit usu pensior igneo
Audebo telam texerè illam ,
Quæ radio Patris inchoata est.
Quàm me beatum, quem PATRIÆ PATER
FOVEBIT , ORDO cui VENERABILIS
Et INCLITUS favebit. Hæcce
Summa precis, licitiq; voti est.



Σὺν Οἰῶ.

I.



BAPTISMUM in Ecclesia CHRISTI vocamus illud Sacramentum, seu illam actionem divinitus institutam, in qua Aqua organo interveniente seu adhibito, hominem peccatorem in nomine Patris, Filij & Spiritus S. juxta ordinationem Christi, tinctum vel lotum ipse Spiritus sanctus sanguine Christi ad remissionem peccatorum lavat, corpori Christi inserit, & ad vitam aeternam regenerat; sicque homo in fœdus DEI recipitur, Matth. 21, 25. & 28, 18. Joh. 3, 5. Act. 2, 41. 1. Petr. 3, 21. Apoc. 1, 5.

Definitio baptismi in Nov. Test.

II. Id quod B. Lutherus breviori compendio proponit, quum ait, quod Baptismus non sit simpliciter aqua; sed quæ sit divino mandato inclusa & verbo DEI comprehensa Mat. 28, 19, & Marc. 16, 15.

I. De origine Baptismi in N. Test.

III. Fundamentum institutionis divinæ Baptismi continetur Luca 3, 1, 2, 3, ubi commemoratur, quod factum fuerit verbum Domini ad Johannem, Zachariæ filium, & quod (statim scilicet post illud dictum verbum) venerit is in omnem regionem Jordani, prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Johannes Baptista incipit baptizare ex jussu divino ante baptismum Christi, & ante initium ministerij Christi.

IV. Hoc ipsum clariùs & brevius recensetur Joh. 1, 33. à Johanne Baptista ad turbam, his verbis: Qui misit me baptizare, (ut baptizarem) in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

V. Hinc Baptismus aquæ Matth. 21, 25. & Marci 11, 30. è coelo; hinc Luc. 7, 30, Consilium DEI indigitatur.

A 3

Pri-

VI. Primus igitur Iohannes Baptista singulari divino mandato excitatus & jussus, predicavit Baptismum aqua, in remissionem peccatorum, & baptizavit. Matth. 3, 1. & seqq. Marci 1, 1. & seqq. Luc. 1. v. 1. & seqq. Ioh. 1, 33. & 3, 23.

Christus baptizatus etiam incipit ordinare Baptismum ex SS. Trinitatis jussu, statim in initio sui ministerij.

VII. Non longè post Ioh. Baptistam ipse Christus, non tanquam vulgatus aliquis legatus & famulus Patris cœlestis, qualis erat Moses & Iohannes Baptista; sed tanquam filius in domo sua Hebr. 3, 5, 6, & ipse quoque inter alias officij sibi à Patre demandati partes hanc baptizandi operam ordinavit.

VIII. Christum autem itidem Patris sui cœlestis auctoritate & jussu Baptismum ordinasse luculenter nobis testatum prebet Iohannes Baptista Iohan. 3, 24. & seqq. Ibi enim Judæi querebant ex discipulis Iohannis, quidnam sibi hoc velit, cum Iohannes Baptista nuper cœpisset baptizare ad abluenda peccata, quod nunc etiam Iesus Nazarenus, qui tamen non erat ex censu & ex numero discipulorum Iohannis, illud ipsum cum alijs discipulis alibi faciendum ordinaret. Metuebant nimirum, ne plures nova religiones, & plures sectæ, seu plura sacramenta, adeoq; plures & varij Baptismi exorerentur.

IX. Hanc questionem de Baptismo per Christum ordinata è vestigio solvit & explicat ipsis Iohannes Baptista, in hunc modum, quòd docet Christi Baptismum etiam esse de cœlo. Non potest (inquit) homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo.

X. Ideò autem hac responsio ad Baptismum à CHRISTO ordinatum etiam specialiter est accommodanda, quia de illo Baptismo Christi specialiter in proximè antecedentibus fuerat questum.

Discrimen inter baptismum Iohannis & Christi, sumitur à personis.

XI. Etsi verò uterq; Baptismus fuit è cœlo, Baptismus Iohannis Matth. 21, 25. Marc. 11, 3. & Baptismus Christi Iohan. 3, 27; tamen, ut omnibus erroribus, qui inter Iudæos de Iohannis & Christi Baptismo forsan exoriri possent, omnino

minis omnino arsa praevideretur, pergit ibidem Iohannes Baptista, adeoque splendidissima oratione personam suam à persona Christi discriminat.

XII. Nimirum ostendit, hunc Jesum Nazarenum esse verè promissum illum Messiam seu Christum, sponsum Ecclesie, de sursum venisse, de caelo venisse, sua omnia, quae habet, accepisse data de caelo, testari hoc quod vidit & audivit in caelis, accepisse Spiritum non ad mensuram, omnia habere in manibus suis, se v. & alium quemvis ministrum non esse, nisi amicum sponsi, scilicet, qui tanquam paranymphus, adducunt sponsam ratione officij, per dispensationem verbi & Sacramentorum: & ut alibi sese explicat, se (& ita alium quemvis ministrum) baptizare aqua, Christum autem baptizare Spiritu sancto, utpote fortiorem sese, & alio quovis; cui ipse & alius quovis viam prepararet Matth. 3, 11. Iohan. 1, 33.

XIII. Accepit igitur Iesus etiam mandatum à Patre de ordinando Baptismo, aqua Ioh. 3, 27: & postquam (nimirum ex Johanne, tanquam teste, hanc ad rem divinitus deputato) jam omnibus satis constabat, quod ipse esset Messias seu Christus, tunc quoque magna auctoritate Baptismum illum ordinavit, h. e. perficiendum discipulis suis commendavit, ut habetur expresse Ioh. 3, 22: Venit Iesus & discipuli eius in Judæam terram, & illic demorabatur cum eis & baptizabat.

Christus ipse non baptizavit, nisi per ministerium discipulorum suorum.

XIV. Quanquam Iesus ipse non baptizaret, sed discipuli eius, Ioh. 4, 1; tamen ipse baptizare dicitur, Ioh. 3, 22. quia jam ad interitum vergente ministerio Iohannis, & fermè absoluto testimonio ejusdem de Christo, Christus ipse suum ministerium urget, & in ministerij sui initio Baptismum ordinat, & discipulis commendat & mandat.

XV. Illud à CHRISTO statim sub auspiciis prima ministerij sui fieri cepisse, cuius manifestum evadere potest, ex serie histo-

historiarum apud Johannem Evangelistam, siquidem capite
3. describitur ista Christi ordinatio, de Baptismo aqua perficien-
do, & tum temporis nondum missus fuerat Iohannes in carce-
rem, quæ circumstantia non frustra exprimitur Iohan. 3, 24.
Paulò autem post, Iohannem in carcerem fuisse coniectum
ex Luca 3, vers. 19. 20. patet.

Christus post re-
surrectionem de
novo ordinat, seu
firmat baptismū.

XVI. Post resurrectionem suam ex mortuis ablegaturus
Christus discipulos eis τὸν κόσμον ἀπαντα, in mundum uni-
versum, solenniter repetit ordinationem Baptismi Aqua, &
quanquam antea nullos à Baptismo suo exclusos voluit, sive
ex semine Abrahamæ sive aliunde descendissent illi, ita tunc ba-
ptizare jubet πάντα τὰ ἔθνη omnes gentes Matth. 28. Marc.
16. apertis, plenis & omnibus portis cæli per hoc quoque Sacra-
mentum.

Baptismus Io-
hannis & Chri-
sti in quibus con-
veniant.

XVII. Quemadmodum verò Johannes Baptista, præ-
cursor Christi, mandato divino, ita discipuli mandatis Christi
sedulò paruerunt, & baptizarunt, & quidem equali effectu,
Johannes Baptismo pœnitentiæ, dicens, ut in eum, qui ven-
turus esset post ipsum, crederent, hoc est, in Jesum, ut clarissi-
mè scribitur Act. 19, 4. in remissionem peccatorum, ut ex-
pressè addunt Marcus cap. 1. v. 4. Lucas c. 3. v. 3: hoc est, ut
Matth. cap. 3. explicat, ut effugerent venturam iram DEI:
Apostoli Christi itidem baptizabant resipiscentes in no-
mine JESU CHRISTI, in remissionem peccatorum
Act. 2, 38.

Aliud discrimen
inter Baptismum
Iohannis &
Christi.

XVIII. Licet autem Johannes Baptista, in venturum;
Philippus Apostolus Act. 8, 35. in evangelizatum seu ex-
hibitum, ut & Petrus in crucifixum & excitatum. Act. 10,
v. 47: tamen, ut ex hæcenus narratis patuit, omnes in unum
Christum direxerunt Baptismum, unde Act. 1, 22, Christus di-
citur incepisse munus suum, à Baptismate Iohannis, quò et jam
stamentum, sic haud obscure alludit textus alius Act. 10, 37. item Act. 13, 24.
Vnde

XIX. Vnde etiam tandem Apostolus Paulus Ephes. 4. valide concludit, quod sicut unum est corpus, & unus Spiritus, unus Dominus, & una fides: ita unus quoque sit Baptismus, nimirum in tota Ecclesia, sive ante, sive post Christum baptizatum, item sive ante, sive post ascensionem Christi.

XX. Utique enim ante & post illos terminos Ecclesia fuit unum corpus, habet unum Spiritum, habet unum Dominum, habet unam fidem, ergo necessario etiam unum Baptisma, unum scilicet inter alia in effectu.

XXI. Si Iohannes Baptista predicavit Baptismum poenitentiae, & baptizavit, ut in eum, qui venturus erat, crederent, & baptizavit in remissionem peccatorum, an Baptismum istum omni Spiritu sancto vacuum fuisse perhibebis? Minime.

Cur Baptismus Iohannis & Christi in effectu conveniat.

XXII. Quod autem Iohannes Baptista docet, se aqua baptizare; Christum vero baptizaturum Spiritu & igne, Mat. 3, 11. Marc. 1, 8. Ioh. 1, 33. illud primo de extraordinariis visibilibus donis & miraculis super Apostolos collatis in specie ignis Act. 2, 3. ipso die Pentecostes intelligendum esse, idem Baptista testatur, quia apud Matthaeum expresse addit, Christum baptizaturum Spiritu & igne.

XXIII. Huc pertinet simile Ioh. 7, 38. 39: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent, aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia Jesus nondum fuerat glorificatus.

XXIV. Et cum plenissime declaratus sit Filius Dei in virtute secundum Spiritum Sanctificationis tandem ex resurrectione sua Rom. 1, 4; utique post illam declarationem effudit visibiliter Spiritum S. & hoc pacto proprie & plane κατὰ ῥητὴν. Apostolos & alios baptizavit Spiritu sancto & igne, & tunc aquae vitae flumina ex Apostolis & aliis super Ecclesiam effluxerunt.

XXV. Confirmat illud & Petrus Act. 11. Dum enim commemorat, quomodo in Cornelium, talia miraculosa dona descenderint (quæ extant Act. 10, 44. 45. 46. nimirum notitia peregrinarum linguarum) priusquam aqua baptizaretur, ibi addit vers. 16. Recordatus autem sum verbi Domini, sicut dicebat; Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.

XXVI. Deinde ex loco illo Matthæi, Christus baptizat Spiritu, hoc aperte quoque colligitur, Christum per Spiritum sanctum regenerare baptizatos.

XXVII. Cui consentit, quod Iohannis 3. dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest introire in regnum Dei.

XXIX. Hic enim Spiritum de donis externis intelligi non posse, ex illo patet, siquidem multi baptizati, multi imprimis miraculorum dono clari; tamen in æternum interierunt, Matth. 7, vers. 22. qui scilicet in extremo die exclamabunt, Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.

Ufus testimoniorum divinorum, quæ huc usque allata sunt, de origine Baptismi adversus hæreticos.

XXIX. Atque hæc de Baptismi institutione & confirmatione in medium copiosius prolata iccirco accuratè nosse proderit simpliciores, ne ab hodiernis Anabaptistis, & horum sociis hodiernis Antitrinitarijs plerisque, in eam sese opinionem deferri patiantur, quasi ea, quæ de Baptismo in nostris Ecclesijs traduntur, nitantur humanis traditionibus, & sint inventa Papistica.

Idq.

XXX. Idē, ut profundius imperitioribus inculcare queant **Obiectio**
illi, audacter quosdam verbi causā Franciscum Davidis, &
Georgium Blandratam in refutatione scripti Georgij Ma-
joris fol. N. 4. fingere animadvertimus, verba Matthaei illa,
Baptizantes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritūs sancti,
ideo esse supposititia, & ex margine in contextum per Trinita-
rios, seu Athanasianos pervenisse, quod nullibi usi fuerint ijs
Apostoli in baptismationibus.

XXXI. Quod tamen commentum adeo impudens & a-
trox visum fuit reliquis Antitrinitariis ipsis, ut penitus ei nū-
cium remiserint omnes hodierni, & potius de nova ejusdem
interpretatione cogitare cœperint, sicut passim in libris eorum
cernere licet. Et annon enim hoc pacto suspecta reddi possent
quævis alia oracula divina, quæ quibusvis hereticis obstare,
viderentur: idē non esset, Solem; sed ipsum Deum ex mundo
tollere.

XXXII. Objicitur nobis etiam Iohannes Reuchlinus, **Obiectio**
qui lib. 3. cap. 16. de verbo mirifico ex Hieronymo ad Hedibiam
Gallicam, demonstrare nititur, totum locum ultimi capituli in
Evangelista Marco à vers. 8. usq. ad finem, & ita quoq. cum-
primis illa verba: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, sal-
vus erit; Qui verò non crediderit condemnabitur, in
Græcis codicibus non haberi.

XXXIII. Sed & Baptismus satis in aliis locis est funda-
tus, & ipse Hieronymus non ausus fuit referre, quòd in nullis
sed tantum, quòd in raris feratur Evangeliiis. Sed quæ esset
urgens causa dubitandi, cum nihil diversum contineat Epilo-
gus ille, à reliqua Scriptura Novi Testamenti, cumque aliis in
codicibus Græcis eundem perpetuò deprehenderint & illi ipsi
& alij patres. Vnde hæc in parte auctoritas, Hieronymi nihil
contra nos facit, quid? quod queri posset, num non supposititia
sint hæc ipsa Hieronymi verba?

B

XXXIV.

Objectio 3. XXXIV. Deinde hæc de Baptismi ordinatione & confirmatione in medium allata solidè convellunt istas propositiones Bellarmini, quæ extant & defenduntur ab ipso lib. 1. cap. 5. De Sacramento Baptismi.

XXXV. Propositionum Bellarmini Prima est hæc: Baptismus ante passionem Domini institutus est (scilicet, ut in explicatione ipse subjungit) de quo dubium esse potest, an ille Baptismus fuerit Sacramentum illud, quod nunc habemus, & de quo fit mentio *Matthæi ult.* an verò fuerit præparatio quædam ad Baptismi Sacramentum postea instituendum.

2. *Propositio est hæc:* Baptismus Christi institutus est, quando Dominus ipse in Jordane à Johanne baptizatus est.

3. *Propositio:* Baptismus Christi non fuit necessarius, necessitate mediæ aut præcepti ante Christi mortem.

4. Baptismus Christi cepit esse necessarius necessitate mediæ & præcepti à die Pentecostes.

XXXVI. Omnium harum erranearum Propositionum & assertionum falsarum unica causa est, quòd decernit Bellarminus præteritis vel dissimulatis, aut non satis expensis iis, 1. quæ de Baptismo Christi & discipulorum ante mortem Christi dicuntur, quòd à Deo fuerit immediatè mandatus, quasi verò non equaliter profuerit animæ, quòd etiam ipse Christus ex decreto totius Trinitatis inchoavit Baptisma ante mortem suam per Apostolos.

Objectio 4. XXXVII. Denique hæc ipsa de Baptismi ordinatione & confirmatione in medium prolata solidè itidem destruunt alias propositiones Bellarmini, quæ ab ipso defenduntur in eodem libro cap. 19. & 20. & 21. & 23.

XXXIX. *Propositio I. est:* Baptismus Johannis non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi. II. Baptismus

ptismus Johannis nō habuit eandem vim & efficaciam,
quam habet Baptismus Christi. III. Post Baptismū Jo-
hannis necessariò percipiendus erat Baptismus Christi.

XXXIX. *Has propositiones audaciùs propugnare cona-
tus fuit, etiam propter primum Canonem Concilij Tridentini
sessione 7. de Baptismo hunc: Si quis dixerit, Baptismum
Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi,
anathema sit.*

XL. *At ex allatis sanè constat, idem fuisse ministerium
Johannis & Apostolorum, nisi quòd in circumstantiis passu-
ri & passi Christi variatur: & quod utriq; fuerunt ministri
aqua, Christus apud utrosque fuit dator S. sancti.*

XLI. *Valde igitur absolum est, & à pueris refelli potest
illud quoque, quòd Bellarminus contendit, Baptismum Iohan-
nis in genere quidem fuisse inspiratum Iohanni; sed ritum in
particulari (in aqua) in quo baptizandum esset, auctorem
habuisse non Deum, sed Iohannem: & Iohannem nec in nomi-
ne Christi, nec in nomine SS. Trinitatis baptizasse.*

XLII. *Iohannis Baptista vitam historicam si quis pensita-
tius contemplatus fuerit, deprehendet 1. eum divinitus fuisse
missum, ad predicandum & baptizandum simul. 2. eum simul
& predicasse & baptizasse. 3. eum predicasse de Trinitate, de
Christo, de passione Christi, de remissione peccatorum, de pœ-
nitentia, de fide, de premiis & pœnis æternis.*

XLIII. *De primo testantur illa: Ioh. 1: Hic venit ut te-
stimonium perhiberet de lumine. Item ibidem: Qui misit me
baptizare. Luc. 1. ad dandam scientiam salutis plebi ejus.*

*De secundo testantur illa Matth. 3: Venit Iohannes præ-
dicans.*

De tertio patet ex proluxa ejus concione descripta Ioh. 3.

LXIV. *Nequaquam igitur dubitabimus, Iohannem in
nomine SS. Trinitatis baptizasse ipsum quoque, cum in con-*

edonibus suis ad populum S. S. Trinitatis mentionem injiciat, Ioh. han. 3, 34. 35. Deus (Pater) non dedit Filio Spiritum ad mensuram. Cujus etiam in Christi Baptisma revelationem habuit ad ripam Jordanis Matth. 3. ad quem Jordanem hoc in negotio ita remittimus Bellarminū, sicut ad eundem Arianos suos olim ablegasse solitum fuisse ex historiis accepimus Athanasium.

De XII. vi-
ris Act. 19.

XLV. Quod attinet ad duodecim viros in Actis Apostolorum c. 19. quos Bellarminus duplici Baptismate, aqua baptizatos fuisse scribit, uno Iohannis; altero Christi: illud ex serie contextus & ex scopo totius loci evidentissime refutatur.

XLVI. Baptizari enim necesse fuit illos viros illo Baptismo, quem nondum sciverant. Sciverant autem, jam antea Spiritum sanctum, quatenus est persona revelata Iohanni in Iordane visibili quadam forma, quae revelatio tunc omnibus innotuerat ubique locorum, & quatenus operatur in mensibus piorum sanctos motus sub veteri Testamento fuit notissima. Nondum sciverant Spiritum sanctum illum, hoc est, dona miraculosa in bonos & malos promiscue plurimos, & cumulativissime, secundum Prophetiam Iaelis καὶ τὸ πῆλοῦ intellectam, effundi capisse statim a die Pentecostes.

XLVII. Baptizati igitur in nomine Domini Iesu Christi, ET (id est) quum imposuisset manus Apostolus illis, venit Spiritus sanctus super eos, ET (id est) loquebantur linguis & prophetabant.

XLIX. Plus millies autem usitatum est Scriptura, per sequentia lumen addere precedentibus. Coloss. 2: Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, ET (id est) inanem traditionem hominum, secundum elementa mundi, ET (id est) non secundum Christum.

II. Do



II. De Baptismi in N. T. re terrenâ
& cœlesti.

XLIX. RES substantiales Baptismi sunt dua, altera ter-
restris, altera cœlestis.

L. Et Terrestris est Aqua, sicut Iohannes Baptista di-
cit, se missum (scilicet à Deo) ut baptizaret aqua Ioh. 1, 6, 33.
unde à Iohanne Baptista baptizabantur in flumine Iorda-
ne, qui exhibant ad eum ex Hierosolyma, & ex omni Iudæa, &
ex circumjacente Iordani regione, Matth. 3, 5. 6. & quidem pro-
pè Bethabaram, Ioh. 1, 28. item in Ænon propè Salim Ioh. 3, 23:
de quo loco Ænon addit Scriptura in hoc ipso capite, Quia
aqua multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

LI. Venit quoque Iesus à Galilæa ad Iordanem, ut ba-
ptizaretur ab eo, & baptizatus confestim ascendit de aqua
Matth. 3, 16. Marc. 1, 10.

LII. Et in Actis Apostolicis quando Eunuchus Re-
gina Candaces, & Philippus veniunt ad quandam aquam,
descenderunt uterque in aquam, ut baptizaretur Philippus,
& tandemq; rursus ascendunt de aqua Act. 8, 36. & seqq.

LIII. Petrus quoq; post concionem coram Cornelio & totâ
eiusdem familia habitam, exclamat: Nunquid aquam quis
prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S.
acceperunt, sicut & nos? Act. 10, 47.

LIV. Postquam autem Scriptura initio satis clarè indi-
cavit, Baptismum peragendum esse in aqua, iccirco brevita-
tis studio pro more suo postea aquæ mentionem omittit, &
cupit subintelligi sub Baptismi & baptizandi nomenclationi-
bus, verbi causa, quum refert, Petrum post suam concionem,
die Pentecostes habitam, exclamasse: Pœnitentiam agite, &
baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi,

Aqua in
Baptismo
res terre-
na, in Scri-
pturis spe-
ciatim ex-
pressa.

Aqua res
terrena in
Baptismo
multis scri-
ptura dictis
necessario
subintelli-
genda.

in remissionem peccatorum vestrorum, & addit, quod ij, qui sermonem ejus receperunt, baptizati sint, & apposita in die illo anima (vel capita) circiter tria millia, Act. 2, 38, 41. hic utiq; per aquam peractum fuisse baptismum, erit concedendū.

L V. Idem aqua vocabulum subintelligendum veniet necessario, in scripturis, ut quod de Samaritanis narrat, quum Philippo Evangelizanti de regno Dei & nomine Iesu Christi credidissent, quod baptizati fuerint viri & mulieres. Act. 8. 12. & quod Simon ipse magus baptizatus fuerit. Act. 8, 13. & quod Saulus, quum visum recepit, surgens baptizatus fuerit. Act. 9, 18. & quod Lydia purpuraria civitatis Thyatire-norum fuerit baptizata & tota domus ejus. Act. 16, 15. quod custos carceris fuerit baptizatus & omnis domus ejus conti-nuò, ibid. 33. & quod multi Corinthiorum audientes credide-rint & baptizati fuerint. Act. 18, 8.

LVI. Et de Paulo ipso, repetente suam conversionem, quod his verbis ab Anania fuerit compellatus: Quid mora-ris? exsurge & baptizare, & abluere peccata tua, invocato nomine Domini: & de Corinthijs, non nisi paucis à Paulo baptizatis, cum Christus miserit Paulum, non ad baptizan-dum; sed ad Evangelizandum 1. Cor. 1, 13. & seqq.

LVII. Eadem vox Aqua, utique ex omni necessitate debet subintelligi in his quoque locis sacra Scriptura, exempli causa; in his sequentibus: Multi Pharisaorum & Sadduceo-rum veniunt ad Baptismum, Matth. 3, vers. 7. Baptizan-tes eos in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti Matth. 28. & Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, Marc. 16. & Quicumque baptizati sumus in Christo Je-su, in mortem ipsius baptizati sumus Col. 2, 12. Consepul-ti igitur sumus Christo per Baptismum. Rom. 6, 3. 4. Qui-cunque in Christo baptizati estis, Christum induistis, Gal. 3, 27. & quam dicitur: Vnus Dominus, una fides, unus Bapti-smus,

Smus unus Deus & Pater omnium. Ephes. 4. 5. Item: Salvos nos facit Baptisma per resurrectionem Iesu Christi. 1. Pet. 3, 21.

LIX. Quando verò Scriptura Tropicum Baptismum nobis proponit, ibi etiam circumstantias addit, ex quibus tropicum singuli Christiani primo intuitu possunt animadvertere, exempli causa, de Christo distributuro dona miraculosa in die Pentecostes, ait: Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Matth. 3, 11. Luc. 3, 16. Ex quo tamen loco apparet, similiter intelligenda esse tropicè verba illa, in quibus mittitur vox ignis: Baptizabit vos Spiritu sancto, quæ extant apud Marc. 1, 8. & Iob. 1, 16.

*Quando sub
nomencla-
tione Ba-
ptismi non
sit subin-
telligenda
Aqua.*

*LIX. Etsi enim hic ignis vox mittitur, tamen quia de eadem ratione & historia omnes quatuor Evangelistæ agunt, nisi quòd duo contractius eloquuntur, quòd reliqui duo suffi-
s proposituerunt, pro more Scripturis usitatissimo & perpetuo, utiq; subintelligi debet ignis.*

LX. Eadem vox & vis ignis subintelligenda est in Actis cap. 1, 5: Iohannes baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos dies; item alter Act. 11, 16: Recordatus sum verbi Domini, sicut dicebat, Iohannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, & Act. 19, 4. 5. 6: Iohannes baptizavit Baptismo poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum. His verò additis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & quum imposuisset Paulus manus, venit Spiritus sanctus, & loquebantur linguis, & prophetabant. Omnia enim hæc loca agunt de donis miraculosis.

*LXI. Ac quòd ad hunc postremum textum spectat, si-
quidem verba ostendunt ad oculum, quòd desumptus sit ex
formula illa: Iohannes vos baptizavit aqua, ille verò, qui
venturus est, baptizabit vos Spiritu sancto: Deinde cum*

C

conclu-

conclusio expresse habeat illud, quod Spiritum S. susceperint, id est, prophetarint duodecim viri, absque omni dubio tropice intelligi necesse est versus s. intermedium: His auditis baptizati sunt, in nomine Domini Iesu Christi. In nomine Domini Iesu baptizabantur igne seu accipiebant Spiritum sanctum, vel dona Spiritus sancti miraculosa, sicut in nomine Iesu Christi & per nomen Iesu Christi fiebant sanitates & signa, & prodigia, Act. 3, 6, & 4, 30.

LXII. Ad proprium igitur & Tropicum Baptismum respiciens autor Epistola ad Hebraeos cap. 6, 2: plurali numero utitur, & inter rudimenta recenset Baptismatum doctrinas, sicut verè rudimenta Christianismi erant & sunt, 1. articulus de Baptismo aquae, quatenus est Sacramentum novi Testamenti, & 2. articulus de Christo, sedente ad dextram Patris, & baptizante ignibus, seu distribuyente dona varia linguarum, interpretationis &c.

Alius tropicus Baptismus in Scriptura. LXIII. Adhuc unius Tropici Baptismi, mentionem facit Scriptura, quum Marci 10, 38. 39, Christus dicit, se baptizari Baptismo, & filios Zebedaei etiam baptizandos Baptismo, quo ipse baptizatur; Sed quis sit ille Baptismus, tum ex Matth. 20, 22, 23. & ex eodem loco Marci satis patet, quum Christus *ποτήριον*, poculum & Baptismum pro uno & eodem accipit: Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari, scilicet passio Christi, (de qua itidem dicit Christus Matth. 26, 39, sub exordium passionis: *Transseat à me calix iste, ποτήριον τούτο*) est ille Baptismus.

Ufus testimoniorum divinatorum, quod Baptismus fieri debeat per aquam, adversus haereticos.

LXIV. Atque hac de altera exteriori, re vel parte substantia.

stantiali Baptismi ideò paulò etiam accuratius ex Scripturis Anterioribus
asserere libuit, propter Anabaptisticos hodiernorum Antitri-
tinariorum furores, quorum ideam cernere licet in Ger-
manica Institutione Ostorodi.

LXV. Etsi enim historica certitudinis evidentia convi-
ctus largitur, Apostolos baptizasse in aquis; tamen negat au-
dacissimè, Christum mandasse Apostolis, ut baptizarent in a-
quis.

LXVI. Addit igitur, Apostolos ex (generali) instinctu
Spiritus sancti, quem habuerunt, incepisse quidem baptizare
in aquis; sed tamen ex sacris nō posse demonstrari, Chri-
stum ordinasse Baptismum aqua, atque pugnat Baptismum,
Matth. 28. & Marc. 16. esse accipiendum, non de Bapti-
simo aqua; sed de Baptismo doctrinæ, ut baptizare sit idem,
quod docere, cum in verbis Christi non fiat mentio aqua.

LXVII. De qua non tam audaci, quàm omnino stolidi
contorsione verborum Christi, non opus est pluribus, cum ex
antecedente proluxiore declaratione, quæ non ex solis vocabu-
lis textum; sed ex textu vocabula simul ponderavit per invi-
ctam regulam collationis antecedentium & consequentium,
facili & sine negotio refutari queat.

LXVIII. Nec est, quòd aliquis impudentiam illam admi-
retur in illis, quia jamdudum adversus aqua Baptismum ex
Ecclesia, immò ex orbe terrarum penitus proscribendum jurá-
runt & conjurárun, nuncque allaborant & allaborabunt de-
inceps vel unice.

LXIX. Pariter ex his estimare licet, quanti sit faciendum
hoc consilium Theodori Beza in Epistolis, Epist. 2. ad Tho-
mam Tiliam: Desit (inquit ille) aqua & tamen Baptismus
alicujus differri cum ædificatione non possit, nec debe-
at; ego certè, quovis alio liquore non minùs ritè quàm
aqua baptizárim. Hæc iste.

Beza pro-
tervis qui
vult bap-
tizare cum
quovis li-
quore.

LXX. Verum quia Christus ipse elegit tale externum elementum, non verò balnea vini, lactis, oleorum distillatorum, idcirco non licet regulam ab ipso definitam & prefixam in hac materia transilire. Et ar. non potest ubivis locorum faciliori occasione, vera, simplex & naturalis aqua præ aliis omnibus liquoribus, comparari, siue non alterata, siue quandoq; leviter & accidentaliter alterata.

LXXI. Malè deniq; ex sinistro intellectu verborum istorum (Christus baptizat spiritu & igne) ita nominati Abyssini vel Ethiopes baptizatos suos igne quoq; inurunt.

Cœlestis res in Baptismo quænam sit.

LXXII. Alteram rem, cœlestem, in Baptismo quod attinet, omnes tum veteres Patres, tum recentes Augustina: Confessioni invaritate ex animo sincero ferventes Theologi cōfitentur, quia in nomine totius Trinitatis Baptizari jubentur omnes gentes Matth. 28, omnino cum aqua concurrere rem aliquam cœlestem ac divinam, licet in specialissima ejusdem determinatione exprimenda non omnes inter se conveniant.

LXXIII. Quidam enim verbum constituent cœlestem Baptismi rem, propter illud Ephes. 5. mundans Ecclesiam lavacro aqua in verbo.

LXXIV. Quidam Spiritum sanctum vocant rem cœlestem Baptismi, propter illud Ioh. 3, 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, item 1. Corinth. 12, 13. In uno Spiritu omnes nos in unum baptizati sumus: item 2. Corinth. 1, v. 22. Qui unxit nos & signavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

LXXV. Quidam sanguinem Christi in Baptismo rem cœlestem.



caelestem faciunt propter illud Apocal. 1, v. 5. Pax à Iesu Chri-
sto, qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, cui conso-
nat illud, 1. Iohan. 1, 8. Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat
nos ob omni peccato: item 1. Pet. 1, 2.

LXXVI. Quidam denique Spiritum sanctum & san-
guinem Christi conjunctim pro re caelesti in Baptismo accipi-
unt, quod, licet non conjunctim exhibeat utrumque in uno lo-
co; tamen ex diversis locis, jam modo indicatis, utrumque
colligendum jubere videatur scriptura, utpote quae etiam in a-
liis non tam Catechetorum quam Historicorum methodo af-
sueverit, & exempli causa, non in uno aliquo capite Biblico
omnia de Deo scitu necessaria, exhibeat; sed in uno loco omni-
potentiam Dei, ex alio aternitatem, & iterum ex alio omni-
scientiam ejusdem singulariter spectandam exponat.

LXXVII. Nec est in ulla harum sententiarum impieta-
tis aliquid, sed & nulli ex Theologis supra indigitatis omnibus
negant, quin potius declarationibus suis revidunt in commu-
nem hanc sententiam, in Baptismo cum aqua concurrere divi-
nam vim Spiritus sancti, ad abluendos homines per meritum
& efficaciam sanguinis Christi ab omnibus peccatis.

LXXXIIX. Legatur Augustinus tractatu 15. & 80.
super Iohannem, item in libro de catadlysmo cap. 3. Hieronymus
in caput 4. Esaie, Cyprianus ad Pompejum in medio, item in
sermone de Baptismo, item de resurrectione Christi in medio,
Ambrosius in libro de his, qui mysterijs initiantur. Lutherus
tom. 7. latin. Witeberg. in homeliis de Baptismo, ut & in ma-
jore Catechismo.

LXXIX. Porro ex his patet, ad Sacramenti Baptismi ple-
nam & perfectam absolutionem non sufficere aquam vel asper-
sionem aquae, sine re caelesti conjunctissima & in eodem actu
singulariter praesentissima, nec, vice inversa per rem caele-

Item sine aqua vel aqua aspersione Baptismo propriè & specialissimè nuncupato essentiam præberi, quorum illud in aspersibus Leviticis fiebat, hoc in auscultatione & meditatione verbi divini quotidie contingit; Sed per aquam vel aqua aspersione, deinde per vim spiritualem & rem cœlestem integritatem suam perfectissimam Baptismo constare, idque in

LXXX. In usu enim res terrena & cœlestis illa unione Sacramentali ad unam Sacramenti substantiam concurrunt, utique non Physicè, nec naturaliter, nec terreno modo; sed mysticè, realiter tamen verissimèque, ita ut aqua sit organum, seu medium externum, quo organo gratiam suam confert Deus.

LXXXI. Quanquam verò potuerit Deus gratiam suam, ablutionem peccatorum in sanguine Christi & regenerationem sine aqua præstare hominibus, eamque in verbo auscultato sine aqua efficiat quotidie, unde simplici & absolutâ necessitate non requirebatur aqua: tamen quia placuit nobis, qui corporales sumus, per corporalia elementa mundi distribuere spiritualia sua dona, utique Baptismum non tanquam ordinationem Dei magnificare & loco maximi clinodij habere, non nisi extrema & furiosa impietatis esset futurum.

Aqua est organum S. sancti in Baptismo. LXXXII. Porro quòd aqua sit verè organum & medium, quo vult conferre hominibus ablutionem peccatorum & regenerationem Dominus, ex Ioh. 3, 7. deducetur Sole meridiano clarius, quum inquit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei.

Solida ratio, quod Ioh. 3. aqua non possit tropicè intelligi. LXXXIII. Prius autem paulò penitius recordandum venit hoc loco illud, quod Matth. 3, 5. 6. 7. narratur, quando ad Baptismum. à Iohanne inchoatum, Hierosolyma, & omnis Indæ, & omnis regio circa Iordanem exiit, ut baptizaren-

20
tur à Johanne, quòd eo tempore non omnes; sed tantùm
multi quoque Phariseorum & Sadduceorum venerint.
Repetitur hoc ipsum à Luca, postquam Iohannes in carcerem
ab Herode fuerat coniectus, Luc. 7, 29, 30. Cùm enim ibidem
de Iohanne multa ad populum Christus proclamasset egregia,
omnis populus audiens, & Publicani glorificârunt De-
um, baptizati Baptismo Iohannis; Pharisei autem & Le-
gis periti Consilium Dei spreverunt in semetipsos, non ba-
ptizati ab eo, &c.

LXXXV. Ex numero autem Phariseorum, qui equiores
sese prebebant Christo, erat Nicodemus. Cùmq; scandalum
sibi ipsis fingerent reliqui, ex introducto baptismationis ritu
novo, quem conferebat in remissionem peccatorum Iohannes,
contra consuetudinem & usum reliquarum purgationum le-
galium, noctu adit Salvatorem, ipse, petens sibi eximi scru-
pulum, utique de Baptismo, quem è cælo esse & virtutem
divinam habere negabant Principes Sacerdotum, & Scribae,
& Seniores Luc. 7, 30, & seqq.

LXXXVI. Hic est ipsissimus & solus nativus sensus ac
scopus questionis Nicodemæ, quòd cupit privatim erudiri, an
possit tanta vis esse ritus nuperrimè à Johanne inchoati, unde
invictè concludimus, responsionem quoque Christi, quam
Nicodemo dedit, ad illum ipsum scopum, & non ad alium ul-
lum tropicum collineare, hoc est, verba illa; Nisi quis renatus
fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei,
propriè & strictè accipienda esse de Baptismo aqua deque Ba-
ptismi virtute, nec citra còtextus seriem violentissimè ruptam
& perversam allegoricè exponi posse.

LXXXVII. Cùm igitur hoc oraculum aquæ Baptismi
& Spiritui simul tribuat, quòd per ea regenerentur homines,
iterum adamantina consequentia infertur, aquam, elemen-
tum

tum illud ad omnia quidem caelestia & spiritualia ex se, & per se, & in se efficienda omnibus modis brutissimum; tamen ex ordinatione in usu Baptismi esse medium seu instrumentum, quo ablutionem à peccatis in vi & merito sanguinis Domini nostri Iesu Christi conferre & operari placuit Sacrosancta Trinitati.

LXXXIIX. Idem confirmatum etiam postea redditur aliis locis, ut quando ad Tit. cap. 3, 8, memoratur *ἀστὴν πᾶσι* *ἀπολείπειν*, quod non est aliud, nisi Baptismus ipse noster. Retinuit enim Apostolus gentium, Magistri sui, *ἡ ἀπολείπειν τῶν ὑγιαινόντων λόγων* in hoc articulo, sicut etiam ibi, quando Ephes. 5, 25, scribit, Christum mundare Ecclesiam lavacro aqua. Sic ipsum ante à erudiverat Ananias quoque Act. 22, 16: Surge, baptizare, & (post hanc resurrectionem) abluc peccata tua.

LXXXIX. Etsi enim sicut gladius Matth. 1, 28. ita aqua pertingere nequit ad ipsam animam; Tamen Spiritus per aquam virtutem suam exerit in animam & corpus.

Calvini
Strophe ad-
versus di-
ctum Chri-
sti Iohan. 3.
nisi quis
&c.

XC. Pessimè igitur Ecclesiam Christi hoc seculo turbavit Iohannes Calvinus, quando locum illum Joh. 3. docuit in alienissimum detorquere sensum, quum scripsit super illum ipsum locum haec verba: Quantum ad hunc locum attinet, nullo modo adducor, ut Christum de Baptismo verba facere credam: hoc enim fuisset intempestivum. Tenendum enim semper est memoriâ consilium Christi, nempe quod Nicodemum hortari voluit ad vitæ novitatem, quia Evangelij capax non erat, donec alius homo esse inciperet. Hec iste.

XCI. Quasi verò hoc ipsum Nicodemo futurum fuisset tam magnum & admirabile absurdum, τὸ predicar, τὸ audire, & τὸ agere poenitentiam.

Sicut

CXVII. Sicut enim sub ipsissimis densissimis tenebris Pa-
patūs pœnitentiam communem, alios predicantes, Paparum
nullus unquam afflixit, modo Hierarchiam & dominationem
Pontificiam censoria sua virgula non stringerent: Ita tem-
pore prædicationis Iohannis & Christi notum erat omni-
bus & persuasum, agendam esse pœnitentiam.

CXVIII. Matthæi enim 3. quum videret ad Baptismum
venire Phariseos, sobolem illam tunc Diaboli & progeniem
viperarum, pœnitentem, pœnitentiam seriam & intimam
ijsdem suavit & inculcavit Johannes Baptista; Facite ergo
(inquit) fructum dignum pœnitentia, & ne velitis di-
cere intra vos, Patrem habemus Abraham, &c.

CXIX. Neque unquam hanc concionem impugnarunt,
vel absurdam iudicarunt sive Pharisei sive alij improbi. Ba-
ptismum, Baptismum autem hostes CHRISTI hi, & do-
ctrinam illam, quod sit ipse Messias baptizans Spiritu san-
cto, &c, quantum potuerunt suspitione absurditatis & falsita-
tis premere & impedire, allaborarunt unice.

CXX. Quam procul igitur distat cœlum à terra, tam ab-
errat Calvinus à vero scopo hujus loci in suis glossis, & tam a-
liena est, à veritate ejus contorta explicatio, quum Spiritum
& aquam pro eodem ponit.

CXXI. Cum verò omnium dictorum Scripturæ declara-
tiones debeant inniti fundamento cuidam etiam ex alijs Scri-
pturis deprompto & ex contextus fonte excerpto, audiamus,
quoram suam æquæculam fulcire velit Calvinus:

Frequens (inquit) ac tritus loquendi mos est in
Scriptura, quum de Spiritu fit mentio, ad exprimendam
ejus vim Aquæ vel ignis nomen adjungi. Jam aliquo-
ties habuimus, Christum esse, qui baptizat Spiritu
sancto & igni.

D

Verum

XCVII. Hec ille. Verum habemus etiam, quomodo hoc completum fuerit die Pentecostes in linguis igneis.

XCVIII. Et Johan. 7. agi de donis miraculosis in Doctores & alios pios conferendis tam aperte convincit versus 39, ut omnino mirari habeamus proterviam confidentiam Calvinii, qui ex miraculoso, speciali, singulari, extraordinario audent metiri regulam generalem, & ordinariam Ioh. 3.

XCIX. Inconcussum ergo manet, quod Nicodemus non simpliciter de poenitentia agenda quasi verit; sed quod interrogavit CHRISTUM de novo ritu Baptismi introducto, & per consequens manet ἀδιάλυτον, quod CHRISTUS de Baptismo aqua responderit, in illo regenerari hominem per S.S. mediante aqua.

Beza somnia de
signo & signato
in Baptismo.

C. Calvinii turbas renovavit Beza, qui in Colloquio Montpelgartensi disputavit, Aquam & sanguinem Christi esse proprie essentialis partes Baptismi, ut signum & signatum, ita nimirum, ut Sacramentali signo aqua annexa dicenda sit certa & vera promissio tam vere & re ipsa prebenda & fidei menti recipienda, rei significata, puta ipsius Christi cum suis beneficijs, quam vere signa in sensus corporeos incurrunt.

CI. Ideo autem haec astruit, adversus nostram doctrinam de Baptismo quod ipsi ex Ecclesiarum nostrarum Confessionibus videatur consequi, aquam illam in ipsummet Spiritum sanctum transubstantiari. Immo addit, quod absurdissime dicatur Spiritus sanctus pars esse ipsius Baptismi. Quis enim (pergit) unquam prater Manichaeos, aut alios ejusmodi insanos homines, Deum ascivit in ullam VLLIUS REI CREATAE partem? Hec ille.

BEZA.

CII. Verum quod ad significationem seu representationem attinet, jam dudum ipsi Beza solide a nostratibus fuit responsum, quod certo & sano sensu aqua in Baptismo posita dici signum sanguinis CHRISTI, & quod aspersio aquae

aqua seu immersio in aquam possit perhiberi significatio vel representatio vel signum mortificationis Spirituales, & ipsius regenerationis, nimirum hoc modo, si illa sicut à Scriptura in usu conjunguntur, (aqua & sanguis CHRISTI) inter se conferantur, non autem eo modo, quo apud Bezaam Baptismi voce propriè externa & corporea immersio in aquam significatur, ubi res terrena adsit aqua, sed res cœlestis, per se omnibus modis absens tantum, & nudè representetur.

CIII. Hinc enim ortum suum habuit Beza distinctio in Baptismum externum & internum.

CLV. Consubstantiationem aut transubstantiationem in Baptismo nullam admittimus; sed nec ex aduerso nudam hanc figuram, solam metaphoram, simplicem significationem aquæ ascribi patimur, propter oracula sacrarum Scripturarum superius citata. Neq; Spiritum sanctum Manichæa stultitiâ constituimus Baptismi partem, terreno modo commixtam aquæ, sicut ex speciebus diversis componitur medicamentum, sed rem etiam cœlestem inde facimus, quæ aquæ organo utitur ad tantas res expediendas.

CV. Forma Baptismi in hoc consistit, quod hoc medio Forma Baptismi
quenam. ablutionis vel mersionis hominis adulti vel infantis in aquâ, facta per alium hominem, secundum ordinationem divinam, cum pronuntiatione ipsorum verborum Institutionis Christi, sacrosancta Trinitas compellata, & invocata, utitur ad ablutum vel immersum in merito sanguinis Christi mundandum & virtute Spiritus s. ad vitam æternam regenerandum: h. e. forma consistit in ipsa tota actione Baptismi.

CVI. Requiritur igitur primò minister, ut solet esse De MINISTRO Ba-
ptismi. quilibet Ecclesiæ ordinarius, sicut ipse CHRISTUS querit sibi Baptistam Matth. 3. Vt enim nemo se ipsum gignere; ita nec regenerare potest.

D 2

Et

CXXXII. Et verum conferet minister Baptismum i. et-
iamsi fuerit in alijs articulis hereticus, sicut Pontificiorum
Baptismum pro vero agnoscimus, sicut CHRITUS Pha-
riseorum ministerium legitimum agnoscit, etsi in multis do-
ctrinae capitibus & ceremonijs peccabant Matth. 23, 2. 3.

AVGVSTINVS. CXXXIII. Et bellè August. tract. 5. super Johan. : A-
liud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per
potestatem. Baptisma caim tale est, qualis est ille, in
cujus potestate datur, non qualis est ille, per cuius mi-
nisterium datur.

AVGVSTINVS. CXXXIV. Et circa finem : Quos baptizavit Judas,
Christus baptizavit, sic ergo, quos baptizavit ebriosus,
quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si
baptisma Christi erat, CHRISTUS baptizavit. Non
timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia
columbam attendo, per quam mihi dicitur : Hic est,
qui baptizat Hec iste.

De ebrioso Ba-
ptista.

CXXXV. In specie de ebriosis ministris (ut in multis
repentinis casibus saepe mens multorum & pes officium vix fa-
cere potest) querit Gabriel, An iste ratione utens, possit
baptizare, & responsum hoc prabet, quod nec virtus Sacra-
mentalis, nec ejus ministerium impediatur per culpam, vel
peccatum ministri. Si tamen adeo inebriatus esset, ut assi-
stentes laici sensum verborum capere non possent, & ipse postea
dubitaret, quid dixerit, sentit eum non baptizasse.

An Arianus
conferat verum
Baptismum.

CXXXVI. Verus insuper est Baptismus etiamsi fuerit mi-
nister in ipso articulo de SS. Trinitate, hereticus (&
tanquam Ethnicus) sed clandestinus, quia Sacramentum
non est istius heretici, verum totius Ecclesiae, cujus Ecclesiae
preces in actu Baptismi invocatus Pater, Filius & Spiritus S.
exaudit, ex analogia Matth. 18. 17. 19. Id quod etiam multo
magis accommodabitur ad ministrum probis moribus, aut vitæ
inte-

integritate non pollentem, quia Matth. 7. CHRISTUS
utebatur in expellendis demonibus etiam impiorum mini-
steris.

CXXXVII. Non verum Baptismum conferi minister
Arianus tum, si aperte heresin illam tuetur, & habet audi-
tores, sibi vel conniventes, ubi heresin docere, & connivere
coram DEO aequè punienda judicantur Rom. 5, 32; vel aper-
tè ὁμοψύχως.

CXXXVIII. Ab hoc & his n. secundum externū sonum ver-
borum nominatur quidem Pater, Filius & Spiritus sanctus:
sed non invocantur, immò blasphemantur tres personae Trini-
tatis, ideoq; hæ preces non exaudiuntur, ex analogia illius a-
pud Ioh. 9, 30: Peccatores Deus non exaudit.

CXXXIX. Itaque ab hereticis baptizatum rebaptizan-
dum esse Cypriano non concedimus, nisi talem, qui ab Aria-
nis fuit lotus vel immersus, quiq; Arianismo favit ipse, quia <sup>Quinam rebapti-
zandi sint.</sup> Ariani non possunt verum Baptismum conferre ea ratione, de
qua jam modo fuit dictum.

CXL. Hactenus de ordinario ministro: In casu tamen <sup>λαϊκοπαπικῶ-
ν.</sup> necessitatis, etiam Laicum quemcunque, cujuscunq; sexus, ^{ἡσ.}
ideo permittimus baptizare, privatim, absente ministro ver-
bi, quia causas momenti sufficientis nondum vidimus, quibus
jure damnari possit factum Zephora, uxoris Moysis; Exodi
cap. 4. vers. 25.

CXLI. Quum enim, ut ex contextuum circumstantijs li-
quet, antea filium octavo die pro metu dolorum circumcidere
passa non fuisset mater, & jam in itinere Dominus Patrem pro-
pter hanc causam ita terreret, quasi interemturus eum, unde
ager factus ipse Sacramentum conferre non poterat, ibi, subito
mater Zephora vices supplet mariti.

CXLII. Igitur & λαϊκοπαπικῶς ritè usurpat: cum ad-
hibita unà aquâ super infantem integrè ex utero egressum &
audita

bus baculos in manibus, & in fine capitis excluditur ab hoc
esu omnis alienigena, advena & servus nondum circumcissus.

CXXVI. Admittitur igitur omni jure divino ad esum
agni Paschalis quilibet Judaeus, & quilibet circumcissus, alie-
nigena & advena & servus sive adultus sive puer, quicumque
carnibus stando vesci potuit, admittitur item omnis femina,
quia non excluditur, nisi incircumcissus advena, &c.

CXXVII. Ita quoque Matth. 26, in Cæna bibere jubentur omnes, qui, ut 1. Cor. II, 26. habetur, mortem Domini an-
nunciare possunt. Cæna. Domini.

CXXVIII. Admittuntur ergo omni jure divino viri, mulieres,
adulti & juniores, quotquot hanc conditionem implere possunt;
excluduntur reliqui omnes, qui hanc non possunt prestare.

CXXIX. Quæ cum ita sint etiam jure divino in Ba-
ptismo, aquis immergere vel persundere decet viros, feminas, Baptismus.
adultos, infantes, cum hi omnes possint aquis, aquis immergi
vel persundi. CHRISTUS enim jubet baptizare omnes gen-
tes Matth. 28. hoc est omnes quotquot aqua tingi & mergi pos-
sunt, illo ritu dignari.

CXXX. Habemus igitur in hoc dicto inclusum funda-
mentum seu mandatum & Βεβαβαισμου̅ seu παδοβαβαισμου̅,
solidissimum & invictum.

CXXXI. Exempla baptizatorum infantum si quis unum
cum Anabaptistis & cum hodiernis Antitrinitarijs petierit sibi Object. 12.
demonstrari, ab hoc nos petemus nobis monstrari mandata &
exempla baptizatorum Apostolorum, exempla feminarum &
adolescentulorum, qui ad sacram synaxin accesserunt. Quid
opus est exempla requirere, ubi mandata generalia prostant?

CXXXII. Unum est, quod quidam Anabaptistæ urgent, ba-
ptizandos tantum esse illos, qui possunt doceri: siquidem insti- Object. 13.
tutio Baptismi confirmata à Christo, videtur illud ipsum velle,
quæ in hunc modum se habet: Docete omnes gentes, bap-
tizantes eos, &c. Matth. 28.

Quibus

CLVIII. Quibus geminam reponimus responsionem. Sicuti enim Abraham prius docetur, postea circumciditur, Isaac verò ratione inversa prius circumciditur, postea docetur. Ita tunc maxima parti adultorum prius predicandum erat Evangelium, postea ipsi & domestici eorum baptizandi.

CLIX. Præterea ipsorum Antitrinitariorum, quidam, ut Ostorodus in Institutione Germanica, τὸ μαθητευοῦν apud Matthæum exponunt, pro τὸ discipulate, vel discipulos facite, hoc est, CHRISTO JESU inserite tanquam corpori membra, tanquam magistro adducite discipulos. Quomodo? Baptizantes eos, & docentes eos servare mandata, &c.

CLX. Potuerunt igitur & possunt hodie, secundum propriam Antitrinitariorum mentem & expositionem dicti Matth. 28. Christo inseri & hoc pacto discipulari tum infantes, tum adulti.

CLXI. Alia argumenta à nostratibus copiosè declarata pro pædobaptismo commemorare, nimis esset futurum prolixum.:

DE PRONUNCIATIONE verborum Baptismi. CLXII. Requiritur tertio pronuntiatio verborum Institutionis, in quibus propter mandatum DEI de invocatione sanctæ Trinitate in Baptismo, & propter promissionem invocationi isti in Baptismo factam, nunc in actione Baptismi invocatur Sacrosancta Trinitas, PATER, FILIUS & SPIRITUS SANCTUS, ut huic suæ ordinationi adesse velit, & ea peragat, quæ promisit, se in eadem peragere velle, quando secundum eam institutionem ipsam celebratur.

CLXIII. Nec est ullum dubium, Apostolos hac ipsa forma strictissimè usos fuisse, & baptizasse in nomine Patris, Filij & Spiritus sancti, nisi hujus mandati Christi specialis insignes & nefarios contemptores reos peragere velis, unde nec hodie nostris hominibus ab ea formula recedendum est.

Quod

CLXXXIX. Quod verò Act. 2, 38. scriptum legimus, die Pentecostes ter mille capita fuisse baptizata in nomine JESU Christi, idud eo sensu scriptum esse constat, quem ex tota ibidem precedente concione Petri haud difficulter quilibet eruere & colligere poterit.

Object:

CXL. Quæstio enim hæc agitabatur Hierosolymis, an Christus verè resurrexisset ex mortuis, viveret & dominaretur Ecclesie, & an Baptismus ab eo ordinatus esset observandus?

CXLI. Ad hanc quæstionem expediendam tota concio Petri dirigitur, in qua demonstratur ex illo miraculo cœlitus demissi eodem die Spiritus Sancti, Christum, qui mandavit baptismum, non mansisse in sepulchro, ut Pharisei contendebant; sed resurrexisse, vivere & dominari Ecclesie, ideòq; ritus, constitutos observandos, nimirum Baptismus.

CXLII. Non igitur his verbis ostendere voluerunt Baptismi formulam, sed tantum mandatum & ordinationem à Christo scilicet factam.

CXLIII. Etsi verò ad perfectam veri Baptismi integritatem, requiritur invocatio Sacrosanctæ Trinitatis, & hæc omitti verba aut mutari nullo modo debent:

De aliis additis
ad verba institutionis.

CXLIV. Tamen vetustas, ut Sacrosanctam hanc actionem conspectiorem & illustriorem prestaret, hæcque verborum dispositivorum pondera & momenta simplicioribus magis explicata præberet, peccati originis internam venenositatem depingeret, efficaciam meriti Christi & Baptismi inculcaret, ac intentionem astantium excitatiorem redderet, etiam alias lectiones & preces lingua popularis idiomate consueto adjunxit.

CXLV. Olim etiam multi externi ritus & gestus, qui in oculos hominum incurrerent, ex primitiva Ecclesie miraculis quibusdam sanationibus retineri, multi novi excogitari solebant,

E

lebant,

lebant, quos Pontificij scenicis & histrionicis pluribus gesticationibus aliis auxerunt, quosq; magna ex parte, tanquam non mandatos divinitus, nec usurpatos ab Apostolis & Apostolicis viris B. Lutherus dimittendos esse censuit, siquidem etiam nihil ad Substantiam Baptismi & integritatis necessitatem conducunt.

CXLVI. Acliberum est ac permissum omninò Ecclesie, que adificationi, discipline ac ordini prodesse vel obesse quolibet loco judicabit, citra impium scandalum, vel retinere vel omittere, vel quovis modo alio mutare, tanquam res merè adiphorus.

DE BAPTIZATIONIS actu.

CXLVII. Requiritur quartò baptizatio, vel, quod perinde est, perfusio vel immersio in aquam, sive una, sive terna, quia itidem perinde est, tanquam externum medium, quo Spiritus Sanctus utitur ad hominem totum in sanguine Christi, abluendum ad remissionem peccatorum, regenerationem & vitam eternam.

Chrysostronus.

CXLVIII. Hanc regenerationem etiam (ut obiter quasi moreamus) ex ipsius ritus circumstantiis plebi explicare docet Chrysostronus in Iohann. cap. 3. hom. 24. hisce verbis: Primum divina in hoc consummantur judicia, sepultura, mortificatio, resurrectio, vita, & hæc simul omnia. In aqua enim tanquam in sepulcro caput immergentibus vetus homo sepelitur, emergentibus novus resurgit inde. Ut facile nobis est immergi & emergere respirare; ita Deo veterem sepelire hominem, & novum induere. Hec ille.

Basilius.

CXLIX. Similia habet Basilius in concione de Spiritu Sancto cap. 15. hæc: Nam velut aqua in sepeliuntur corpora eorum, qui baptizantur. Itaque depositionem operum carnis figuratè significat Baptismus, juxta Apostolum dicentem: Circumcisi estis circumcisione per manum non fiende in exuendo corpus carnis, in Circumcisione Christi,

sti, consepulti ipsi in Baptismate, & est velut purgatio ani-
ma à sordibus &c.

CL. *Idem ibidem*: Baptismatis pactum mortis & vi-
tæ figuram habet, mortis quidem, imaginem aqua imple- *Basilius*
te, vitæ verò arrhabonem Spiritu exhibente. Hec ille.

CLI. *Idem ibidem*: Cum duo scopi in Baptismo pro-
positi sint, abolere videlicet corpus peccati, ut ne am-
plius vitæ fructum ferat, & vivere Spiritu & fructum
habere in sanctificatione, aqua equidem mortis imagi-
nem exhibet, velut in sepulcro corpus excipiens, Spi-
ritus autem vivificam vim immittit, à morte peccati,
ad vitam ab initio animas nostras renovans. Hoc igitur
est, ex supernis natum esse, ex aqua & Spiritu, nimirum *Basilius*
dum mortificatio perficitur in aqua, & vitam nostram
operatur Spiritus Sanctus. Hec omnia *Basilius*. Sed de ope-
ratione SS. Trinitatis in actione Baptismi ex sequentibus plu-
ra cognoscentur.

IV. De efficacitate Baptismi.

CLII. *EFFECTVM* igitur Baptismi est, quòd regenerat,
hoc est, baptizatum abluit & emundat à peccatis, & simul fi-
de donat, vel (in adultis) auget, ut remissionem peccatorum
propter Christum vel nunc in solo Baptismo primum, ut in in-
fantibus vel in Verbo antea juxta illud 1. Pet. 2, 23. quàm Sa-
cramentaliter etiam nunc in Baptismo oblatam, ut in adultis
apprehendant, sibi applicent, sicque in fœdus Dei recipiantur,
inque filios Dei adoptentur.

CLIII. Distinguere non separare & lacerare licet vim di-
vinam ab aqua in actu Baptismi, ne vel aqua soli hæc tribuas,
neque tamen aquam organum esse negare ausis, per quod tanta
beneficia homini donantur: Siquidem aqua virtute Spiritus
Sancti, & virtus Spiritus Sancti per aquam illam, divinam il-
lam operationem efficit. E 2 154. Quan-

CLIV. Quando enim homo aquis perfunditur vel immergitur, idque semel vel saepius, prout placet Ecclesiae, cui Deus hac de re speciale mandatum non dedit, ibi ilico aqua non hoc agit ut abluat corpus, teste Petro 1. Pet. 3. sed accedente re caelesti & corpus & animam, tanquam utraque peccatis contaminata, a peccatis emundat, regeneratque, seu renovat.

CLV. Fiunt ista ordine tali, quali per Verbum nos Deus regenerat, siquidem 1. Petri 1, 23. per Verbum tanquam per semen immortale vel incorruptibile renasci etiam dicimur.

CLVI. Quemadmodum igitur simul & semel per Verbum predicatum nobis, 1. omnia beneficia divina offeruntur, 2. & quoque fides in Verbum Dei excitatur, qua fide interveniente homo salutem sibi applicat; ita quoque mediante Baptismo in illo ipso actu Deus offert meritum sanguinis Christi, & fidem excitat innitentem super meritum sanguinis Christi; & per illius fidei interventum salutem aeternam applicat, obsignatque.

CLVII. Fiunt haec omnia in Baptismo, non ex aliquo opere operato, neque ex sensu idololatratico, quasi per sese aqua externa tantum operari posset; sed ita, quia placuit Deo non nisi per haec terrena vascula ordinaria, suos caelestes nobis distribuere thesauros, Ita tamen ut sese non alligavit stricta rigiditate ad ea ipsa media, cum non dubitemus, piorum hominum precibus Deo mature oblatos & in utero tandem extinctos infantes sine Baptismo; tamen in aeternum salvari, sicut in deserto nemo propter intermissam annis 40. circumcisionem damnatus fuit.

CLVIII. Fiunt insuper haec omnia in omnibus infantibus in continente in ipso actu Baptismi, nec differuntur in ullis usque ad aetatem aliquam discretionis plusve minusve seram, multo minus in aliquibus non electis, seu reprobatis nunquam conferuntur.

Fiunt.

CLIX. *Fiunt deniq; hæc omnia in ipsis quoq; adultis, quibus omninò verus & integer offertur secundùm substantiam baptismus.*

CLX. *Quanquam verò adultis omnibus verus secundùm substantiam Baptismus offertur, tamen adulti plurimi non percipiunt virtutem mundationis & regenerationis ex Spiritu Sancto & sanguine Christi, idq; vel propter latentē hypocrisin & incredulitatem, vel propter alia maxima peccata. Nihilominus tamen Baptismus tanquam ordinatio Dei ipsis fieri incipit postea salutaris, quamprimum hypocrisin & alia peccata exuunt.*

CLXI. *Neque enim illa intentio divina solummodo est momentanea & certarum horarum, quibus Baptismus peragitur; verùm sese perpetuat, ut Baptismi subsequenti pia recollectione & applicatione in vita & in morte adversùs commissã dilectã sese consolari & ad gratiam Dei recurrere possit homo cum maximo fructu, sicuti perpetuum est fœdus cõjugiale inter maritum & uxorem, licet quandoq; dissocientur. Redeunt enim ad sese sine novi fœderis institutione, tantùm ex prioris fœderis virtute durante.*

CLXII. *Fundamentum hiscè nostris assertionibus de tãtis effectibus Baptismi prorsus immotum præbent oracula Christi, quæ extant hinc inde numero plurima ponderèq; gravissima.*

CLXIII. *Marc. 16, 16: Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit. Johan. 3, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei, Act. 2, 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrùm in remissionem peccatorum vestrorum. Act. 22, 16. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua. 1. Cor. 6, 11: Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis. Gal. 3, 72: Quicumq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Eph. 5, 26: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in Verbo. *Tit. 3, 5:* Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti. 1. Pet. 3, 2:* Baptismus nos servat.

CLXIV. Ecce igitur Baptismus ex ore Spiritus Sancti salvat, regenerat, abluit peccata, remittit peccata, induit Christum, sanctificat & mundat Ecclesiam, salvos facit, renovat, servat.

CLXV. Necessarius igitur est Baptismus ad salutem, non tantum quia hæc omnia, renasci, mundari à peccatis, abluere à peccatis, indui Christo, sunt necessaria omnibus quotquot æternæ vitæ hereditatem sibi obtingere exoptant; verum etiam, quia Christus expressè hoc nobis unum & primum proposuit necessarium salutis consequendæ organum, quum inquit; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.

V. Bezae opiniones de effectu Baptismi.

CLXVI. Ex his firmamentis de effectu Baptismi apparet, quam sit inanis, quam jejuna & simul impia doctrina Bezae cuius summam in Colloquio Mompelgartensi audacter ita effudit, ut omnibus pateat, ab eo omnem vim Baptismo adimi, & evacuari illam, quam Baptismo Deus ipse ascribit.

CLXVII. De infantibus enim baptizatis hanc habet sententiam, quam proprijs ejusdem verbis ascribimus ex parte posteriore responsionis ad acta Colloquij Mompelgartensis, editione prima fol. 89. n. 1: De hoc inter D. Andream & me convertitur, quod ille quidem singulis, sine cujusquam exceptione infantibus ritè baptizatis necessariò conferri fidè & Baptismi gratiam magnis clamoribus affirmat: Ego v. nullis sacræ Scripturæ testimonijs, neq; rationibus

Beza.

nibus ullis, quæ ex principiis Theologicis deducantur, istud concludi posse assevero, atq; adeo contrariū certis argumētis statuendū esse contēdo. *Hactenus verba Beza.*

CLXIX. Causam hujus sue assertionis colligere licet ex ijs, quæ ex suâ phantasiâ de fato absoluto ibidem mox sol. 92. ponit, verbis istis: Infantum parentes jubemus (quantum quidem, relictis Deo arcanis ipsius judicijs, existimare de ipsorum liberis licet, etiam ante Baptismum forte mortuis, ac, multo magis si baptizati fuerint.) PRÆSUMERE suos liberos in Dei gratiam esse receptos, tum ut in Ecclesia natos, tum baptizatos. Hactenus Beza.

CLXIX. De adultis baptizatis quid sentiat, apparet ex eodem libr. sol. 62. ubi ad Pauli testimonium ex Gal. 3, 27. Quicumq; in Christum baptizati estis, Christum induistis, hæc verba scribit: Hæc autem Pauli verba, cum dubium non sit ad eos ipsos, quibus scribebat, propriè pertinere, id est, adultos, qui fuerunt maxima ex parte à Pseudoapostolis fascinati, de singulis adultis baptizatis intelligi, nemo non videt, nisi nulla profus rationis specie, non posse. Hæc ibi.

CLXX. Causam hujus assertionis itidem ex jam nominato myrothecio suo non obscuram ponit eam pag. 104. ejusdem libri, quum dicit lin. 15: Gratiam Baptismi quibusvis in Baptismo ritè administrato, præberi; sed à solis electis recipi. Hæc ibi.

Beza.

CLXXI. At cum hæc doctrina Beza de Predestinatione, genuino sensui omnium sacre Scriptura oraculorum è diametro, & quidem ex axe contradicat, quæ nos hoc in negotio non ad arcana Dei judicia confugere; sed ex verbo de Sacramentis de salute nostra nostrorumq; infantum statuere jubet:

CLXXIII. Cumq; deinde vel millies hæctenus à plurimis doctissimis viris, non tantum ex Ecclesiis Lutheranis; sed etiam

ex

ex Ecclesiis ipsis Calvinianis eidem Ethnica & Turcica opi-
nioni de predestinatione nuncium publicè miserint, non ope-
ræ singularis pretium fuerit, hos errores de Baptismi effectu
magnam partem ex predestinatione Calviniana deductos o-
perosius convellere.

CLXXIV. Concusso enim jamdudum nihili fundamento isto,
spontè corrunt ea ipsa, quæ superædificavit contra fidem infan-
tum Beza, & vice versa salva manent omnia quæ ex Verbo
Dei de effectis Baptismi breviter hætenus diximus.

CLXXV. Porro illud examinandum restat, cur Beza rideat
à nobis ad fidem infantum stabiliendam adduci, etiam exem-
plum in utero delitescētis Iohannis Baptistæ & præ gaudio exul-
tantis, quando Elizabetham salutabat Maria mater Messia.

Pro fide infan-
tum.

CLXXVI. Sed benè sese res omnis, & in vado quidem ha-
bet. Ut enim rideat hoc exemplum quasi per omnia sin-
gulare & miraculosum, tamen primum ex eo concedere hoc co-
gitur, Deum singulari modo quodam etiam in infantibus o-
perari posse.

CLXXVII. Deinde verò non unicum hujus rei exemplum nobis
ob oculos gravissimis de causis Scriptura proposuit; sed plura
intueri & ponderari iussit.

CLXXVIII. Annon enim Esau & Jacobus adhuc in utero ma-
tris delitescētes infantuli inter se conflictantur, sicut patet ex
gravissima & sanctissima historia Genesis cap. 25.

CLXXIX. Si neget Beza illos infantulos adhuc in utero la-
tentes ex instinctu Spiritus Sancti inter se, non secundum com-
munem cursum nature, collisos fuisse, vim manifestam inseret,
toti textui plusquam illustrissimo.

CLXXX. Taceo quòd ad analogiam 1. Cor. 12: in ipsa crea-
tione unicuique Deus quotidie vires & qualitates ingenij ac
anima infundit, Heroicas quandoque & admirabiles incli-
nationes, ad hanc aut aliam disciplinam, quæ sese in progressu
demum

demum etatis exerunt, quarum etiam rationes sufficientes alias dare nemo potest vel ex astris vel ex alia natura.

CLXXXI. Quæ igitur hæc est impietas DEO mandanti Perobaptismum, DEO promittenti suam gratiam in Baptismo; tamen credere nolle, quòd idem infantibus gratiam conferre possit in Baptismo, ita ut SPIRITUS SANCTUS in eis sit efficax, & ita efficax, ut per motus & inclinationes in ijs suo modo excitatas CHRISTUM & remissionem peccatorum accipere possint, modo inquam nobis nec satis cognito nec explicabili.

CLXXXII. Eum enim motum à Spiritu sancto excitatum in Baptismo vocamus fidem infantum, quæ non oritur ex auditu & meditatione verbi, ut in adultis, nec adultorum, fidei in circumstantijs omnibus est equalis & par, & tamen ita appellatur, idq; ad imitationem ipsius scripturæ parvulis fidem tribuentis, siquidem juxta Christum Marci 10. nequaquam intrabit in regnum DEI, quisquis regnum DEI non perceperit velut parvulus.

CLXXXIII. Ecce parvuli accipiunt regnum DEI, ergo etiam suo modo credunt, hoc est, non sine motu aliquo Spiritus sancti salvantur, & quidem tales parvuli, quales ibi describuntur, nimirum qui ab alijs Christo apportabantur & quos Christus in ulnas accipiebat, Marc. 10, 13. 14. 15, 16.

CLXXXIV. Sufficit hoc ad questionem de infantum fide dictam, quòd DEUS in Baptismo infantum velit operari remissionem peccatorum, regenerationem, eos inserere Christo, &c. quæ sine fidei presentia contingere nequeunt. Nec opus est ullis exemplis vel testimonijs alijs, ubi scriptum extet, credidisse infantes.

CLXXXV. Non dubium est, de his ipsis sæpiùs cogitasse BeZam, adeò ut quo pacto ad ea responderet, non satis videre potuerit. Ecce enim pondera diligenter, quæ ille in actis Collo-

F

quij

quij Mompelgartensis parte post fol. 123. hac de re in vitis
proferre fuerit coactus.

Beza.

CLXXXVI. Verba ejus sunt hac de infantibus, sicut pro-
ximè antecedentia & consequentia testantur: Ad corru-
ptionem autem innatam quod attinet donari quoque
infantes, occulto nobis opere Spiritus sancti, ea men-
tis renovatione, qua fruuntur sanctorum Spiritus in vi-
ta æterna diem illum expectantes, in quo demum erit
omnia in suis omnibus. Addidi verò, & addo creari istud
opus in infantibus sua quadam mensura, nobis inscrutabili,
certissimè tamen, quoniam alioqui, si toti in carne ma-
nerent, placere DEO non possunt. Hec ille.

Beza.

CLXXXVII. Item paulò post: Et quæ illis dixi in i-
pso exortu vitæ donari, fateor Baptismo quoque sanciri,
tum quoniam frustra non sunt olim jussi circumcidi
fidelium infantes (successit autem circumcisioni Baptismus)
tum quòd inutiles certè non sunt offerentium & Eccle-
siæ preces. Hec ibi.

CLXXXVIII. Cùm igitur eò usque pervenire potuerit
Beza, mirabitur aliquis, cur non ulterius processerit, & unà
nobiscum plenè & apertè fateatur & profiteatur fidem infan-
tum, de qua nostra Ecclesia ex verbo Dei moderatè & piè docet.

CLXXXIX. Verùm quòd altiùs assurgere non potuit, unico præ-
destinationis fato Calviniano impeditus fuit, propter quam
non omnibus infantibus baptizatis gratiam Baptismi contin-
gere docet. Non quisquis (inquit) in Ecclesia nascitur, ne-
cessario est ex electorū & servandorum numero, in qui-
bus solis efficax est tum in prædicato verbo, tum in ad-
ministracione Sacramentorū salutis promissio. Hec iste.

Pontificiorum error de effectu Baptismi.

CXC. Et hætenus in defectu peccantem vidimus Bezam:
in excessu exorbitant nimium quantum Pontificij, qui apud
Be-

*Bellarmino lib. 12. c. 1. de Baptismo tres ponunt effectus Baptis-
mi: 1. Quod tollat ac deleat verè omnem culpam & pœ-
nam. 2, Quòd conferat ex opere operato gratiam & do-
na divina, quibus verè & formaliter justificetur homo.
3. Quod imprimat indelebilem characterem, ob quam
reiterari non possit.*

*CXCI. Posterioribus duobus dimissis, utpote quos nunquã
ex Scriptura ritè probare poterunt de primo paucis videbim9.
Refutantur a. Pontificij vel ab unica in omnibus residua concu-
piscencia, de qua Apostolus Gal. 5. Caro concupiscit adver-
sus spiritum, & spiritus adversus carnem: Qua de re
Bellarmino Augustini censuram recitabimus, ne opus sit
prolixiore opera.*

*CXCII. Sic enim de parvulis August. lib. de peccator. me- Augustinus.
rit. 1. c. 39. In parvulis certè gratia Dei per Baptismum e-
jus, qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut
evacuatur caro peccati. Evacuatur a. non ut in ipsa vi-
vente carne concupiscencia inspersa & innata repente absu-
matur & non sit; sed ne oblit mortuo, quæ inerat nato.
Hæc illi.*

*CXCIII. Idem de adultis ibidem: Nam nec grandib9 Augustinus.
hoc præstatur in Baptismo, nisi forte miraculo ineffabili
omnipotentissimi creatoris, ut lex peccati; quæ inest in
membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur
& non sit; sed ut quicquid mali ab homine factum, di-
ctum, cogitatum est, eidem concupiscenciæ subiecta
mente serviret, totum aboleatur, ac velut factum non
fuerit, aboleatur. Hæc idem.*

*CXCIV. Audiatur idem August. in Joh. tract. 41: Ex parte Augustinus.
libertas (inquit ibi) ex parte servitus. Nondum tota, non-
dum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena
æternitas. Habemus n. ex parte infirmitatem, ex parte
accepim9 libertatē. Quicquid peccatū est à nobis, antea*



est in Baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hæc dicere nisi superbus? nisi misericordia liberatoris indignus? nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Ergo ex eo, quod remansit aliquid infirmitatis audeo dicere: Ex qua parte servimus DEO, liberi sumus; ex qua parte servimus legi, peccati adhuc servi sumus. *Hæc omnia Augustinus.*

AVGVSTINVS

CXCIV. *Allegari possent plura loca ex Augustino, ubi eandem mentem suam seu Confessionem suam reponit. De pecc. mer. l. 2. cap. 7. hæc habet verba:* Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absorbitur: sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum. *Idem cap. 27:* Attendere & meminisse debemus, tantummodo peccatum omnium plenam perfectamque remissionem Baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò immutari.

AVGVSTINVS

CXCV. *Item cap. 28.* Lex peccati non sic manet in membris eorum, qui ex aqua & Spiritu renati sunt, tanquam non sit facta eorum remissio, ubi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, & omnibus inimicitijs interfectis, quibus separabamur à DEO, sed manet in vetustate carnis, tanquam separatum & peremptum, si non illicitis consentionibus quodammodo reviviscat, & in regnum proprium damnationemque revocetur. *Hæc iterum Augustinus, qui per omnia Pontificijs contradicit, & nostris Ecclesijs favet, quod in baptismo tantum reatus peccati tollatur, non verò ipsum peccatum.*

Apologie Augu-
stine Confessio-
nis.

CXCVI. *Allegavit durantibus magnis comitijs Augustanis anno 1530. non quidem hæc Augustini formalia; sed hanc mentem Augustini Philippo Melanchthon (Peccatum remittit)*

remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur) in Apologia Augustanā Confessionis, propter Theologos Partis-
cios qui in Augustissimo illo ipso durante conventu Augustano in sua responsione ad oblatam Augustanam Confessionem (quæ extat in historia comitiorum Augusta, 1530. celebratorum, edita à Cœlestino tom. 3.) flagellaverant nominatim hanc D. Lutheri doctrinam de peccato remanente in puero post Baptismum.

CXCVII. Verum hanc allegationem & hoc factum postea anno 1540. in Colloquio VVormatiensi perstrinxit Eccius propter causas, quas ex tomo 4. operum Phil. fol. 651. cognoscet lector & quidem ex his Eccij sequentibus verbis: Nullibi dixit Augustinus, de quo me refero ad tam S. Patrem peccatum remanere in puero baptizato post baptismum. Nam quod solet citari peccatum deleri in Baptismo non ut non sit; sed ut non imputetur: Hoc Augustinus non habet. Nam concupiscentia meminit, quæ remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur: Hæc Eccius.

Eccius objicit Philippo pravā citationem Augustiniani dicti, peccatum remittitur, non, ut non sit, sed ut non imputetur.

CXCVIII. Respondit autem in eodem Colloquio Philippus Eccio his verbis (tom. dicto fol. 657.) Reliqua est particula de citato loco, peccatum remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur. Quod ad me attinet, agnosco, malè citatum esse, sed hæc SENTENTIA sæpe in Augustino tradita est. Alibi inquit: non ut non sit, sed ut non regnet, Et mutassem ipse multo antè, si editionibus adfuissem. Hactenus Philippus.

Philippus fasor Eccio, se male citasse Augustinum & pollicetur emendationem.

CXCIX. Verum enim verò ut solidè respondeamus pro apologia Augustanæ Confessionis, & pro illa Philippicâ allegatione, si quis, si quis inquam, sententiam istius dicti, peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur, in citatis paulo supra ex Augustino testimonijs, non videt, is utiq. nihil videt.

CC. Si enim remanet infirmitas post. Baptismum, si in parvulis (seu puerulis) per Baptismum caro peccati ita evacuetur, non ut concupiscentia repente absumatur, & NON SIT; sed ne OBSIT; si in Baptismo non hoc prestatur, ut lex PECCATI, quæ inest membris, penitus extinguatur & NON SIT; sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum, VELUT factum non fuerit habeatur, quæ omnia sunt Augustini verba, utique rectè dixit Lutherus, quòd Augustinus docuerit, in puero manere peccatum: utique rectè etiam Apologia Augustanæ Confessionis scripsit, quòd ad eundem modum loquatur & Augustinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non reputetur.

CCI. Ac Quemadmodum Salvatorem nostrum nemo arguet ex ipsis Pontificijs, quòd Luc. 19, 45. ex veteri Scriptura citat hanc sententiam: Domus mea, domus Orationis est; Vos autem fecistis eam speluncam latronum, cujus summa non in uno veteris scriptura loco extat, nec ejusdem verbis; sed prior pars Es. 56, 7. posterior Jerem. 7, 11. traditur: immò, quæ sententiola salvatoris nec apud Matth. & Luc. equaliter legitur: Ita quoque nullo modo culpari possunt Augustinianorum testimoniorum ista contracta epitoma, alioqui in alijs etiam admodum licita & ipsis novi T. Scriptoris usitata?

Responsio, cur

Eccio non præstiterit promissionem de malacitatione corrigenda factam
Philippus.

CCII. Quòd verò Philippus Eccio promissam mutationem quam Bellarminus admodum urget, non præstitit, sed animum mutavit, in eo magnam laudem ille meretur. Fertillissimam enim messem præbisset Pontificijs apud plebem calumniandi Ecclesias nostras, quòd in ipsis Comitijs Augustanis 1530. falsa patrum allegatione Casarem & omnes Imperij Ordines circumvenire satagisset, utpote quam postea convicti mutare coacti fuissent & reapse mutassent.

CCIII. Utinam Philippus in ipsis etiam Augustanæ Confes.

Confessionis singulis litterulis & syllabis strictè rigideq; custo-
diendis & invariabiliter servandis vel supersticiosam Ecclesie
navasset operam. Minus omnino futurum fuisset schismatum
inter Protestantos, minus quoq; materiaram habuissent Pon-
tificij Ecclesias Lutheranas inconstantia perpetua accusandi.

CCIV. Quoties autem per annos 300. accusandus esset Pon-
tificij juris compilator Gratianus, qui similem consuetudinem
in excerpendis Patrum plurimis auctoritatibus & testimonijs
sibi usurpavit, qui nimirum non ipsa prorsus auctorum verba
affert; sed arbitrato suo mutat, addit, imminuit. summam
complectitur, quod etiam Burchardus & Ivo faciunt, quum
citant hoc modo ex dictis Augustini, ex dictis Hieronymi: in-
quit præfatio super corpus juris Canonici emendatum
& notis illustratum. ac Gregorij XIII. Pontificis Max. jussu e-
ditum, cum Bulla Romæ scripta die prima Julij, anni 1580. Pes-
simam igitur est, in altero damnare, quod in altero ferre
potes.

Gratianus quo
pacto patres cita-
verit.

CCV. Porro quemadmodum Pontificij ipsi mutare gravi
consilio sub ipso Papismo ausi non fuerunt v. 9. c. 27. Matthæi,
ubi pro Zacharia in contextum irrepsit Ieremias, ita rectissime
& prudenter fecit liber Concordie anno Christi 1580. publica-
tus, quod pro more & candore historico citra omnem mutatio-
nem ad evitandas omnis generis calumnias Pontificias Apolo-
gie Confessionis ad art. 3. Augustanae Confessionis verba recense-
re & ita retinere voluit, sicut eadem à majoribus accepit histo-
ricè.

Formula Concor-
diæ in Apologia
confessionis Au-
gustanae nec pra-
vam à Ph. M.
citationem fa-
ctam mutare vo-
luit.

CCVI. Atq; ex his pauculis jam tandem vel rustici Pon-
tificij aestiment, quo loco habere debeant Bellarmini istam to-
nantem censuram, quæ hisce verbis ab eo profertur l. 1. c. 13. de
Baptismo: Ubi notandum est insigne mendacium: Sic
enim Philippus: Augustinus ait: Peccatum in Baptis-
mo remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur.

Bellarminus ac-
cusat Formulam
Concordiæ, quod
retinuerit pra-
vam citationem
ex Augustino
volens & sciens.

Atque

Atque hoc idem dixerat Lutherus in assert. 2. art. & Jo-
hannes Roffensis convincit eum mendacij, ostendens,
Augustinum hoc non dicere. Editus est autem liber
Roffensis Anno 1523. & tamen Philippus anno 1530.
iterum idem mendacium protulit. Præterea testatur
Cochleus in discussione, art. 2. Confess. Augustanæ,
ipsum Philippum ab Eccio convictum & confessum ef-
se, locum Augustini malè esse citatum; Et tamen i-
dem mendacium toties detectum & confutatum, ite-
rùm scripserunt in libro Concordiæ latino p. 59, edito
anno 1530. & semper repetunt, cum Apologiam il-
lam imprimunt. *Hac ille.*

*Ulenbergis, Pon-
tificius.* CCVII. Repetit eandem tragicam accusationem. Ca-
sparus Ulenbergius in libro latino perniciosissimo, & ad
plebem seducendam appositissimo, anno 1589. scripto, conti-
nente 22. causas, cur ad Catholicos redeundum sit, relictis
Evangelicorum erroribus. Causâ enim 14. conatur osten-
dere, quòd Evangelici sint deserendi, quia Catholicos & suos i-
psorum majores multis calumnijs & mendacijs graviter one-
rent, & quòd docti inter Evangelicos etjam admoniti, tamen
contra conscientiam & Deum in scriptis calumnias non omittant.

CCVIII. Sed simplicioribus etjam satis constare poterit,
hujus accusationis vanitas ex ijs, quæ paulò antè sunt dicta.

*Hem! Infantes
in Bapismo ju-
vant Pape.* CCIX. Cogitet Bellarminus, quemodo apud Deum excusare velit illud,
quod nuper Tertus, Bellarminus à sacellis, absq; dubio ex jussu Bellarmini scri-
psit ad Regem Angliæ, hisce verbis: In ortu supernaturali, quem habemus ex
Bapismo, intelligi debet juramentum tacitum & congenitum, ad obedien-
dum Principi spiritali, qui est Christi vicarius. Hæc ille: quæ in Apologia pro
juramento fidelitatis ab ipso auctore rege Iacobo denuò edita recensentur ex
pagina 51. putidissimi Terri, circa finem dictæ apologiæ.

CCX. DEUM oramus, ut veritatem hujus quoq; articuli
adversus omnes veteres & recentes omnium generis portas infer-
nales potenter & clementer posteritati nostræ salvam con-
servare dignetur.

FINIS.

94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692



SB.

VD 17

21.7.99 Bd. 1



